

gnoscentis præparentur. Consequenter, si probationi Bibli-
cæ per *συγκατάβασι* cum sensu aut intellectu humano, ali-
quid adhuc è lumine rationis adjiciatur. Unde patescit, ar-
gumenta Explicantia necessario ex principiis à proposito pri-
mario Objecto alienis provenire, cum tantum animo ex igno-
rantia ejus Objecti ad plenariam ejus cognitionem placide &
successive transferendo conducant. Scilicet ex spissis si quem
tenebris ad limpidam producere lucem velimus, leviter obscu-
ris, lucemque affectantibus eum locis ante advescere oportet,
ne subitus lucis splendor ipsum terreat.

§. 12. Ejusmodi argumenta hoc sensu secundaria
vocabimus. Quoniam vero omnium confessione verum ac
genuinum Theologiæ Principium in cognoscendis Fidei do-
gmatibus S. Scriptura est, inde in Theologia extracta argu-
menta, si ex S. Scriptura petita sint, primaria jure meritoque
dicuntur.

C A P. II.

Thesin Orthodoxam explicans.

§. I.

MAresius *Systematis sui Theologici* Loc. 1. §. 15. cum
Pontificiis nonnullos quoque Lutheranos quan-
doque in Theologia, postquam eam disciplinam
dianoëticam & argumentativam esse ostendit, pa-
rum aut nihil rationi concedere asserit. Ambigüe dictum;
quod si recte intelligatur, sine injuria dicitur de nobis, si mi-
nus, iniqua de nobis sententia fertur.

§. 2. Illud nimirum omnino negamus, rationi in con-
troversis Articulis Fidei spectantibus judicandi aut deciden-
di facultatem ullam deferrî posse, ita ut à medio ex ratione pe-
tito, decisio ac dijudicatio conclusionis mere Theologiæ & fi-
de apprehendendæ pendere nequeat. Id tamen concedimus,
postquam ejusmodi Conclusio ex S. Scriptura omni ex parte
probata ac confirmata est, illustrationis aut secundariæ proba-
tionis

B

tionis